



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Gerfredi Monachi, Qvi Adalgarivm Aeduorum episcopum veneno necasse
dicebatur, purgatio per corpus Domini, ex decreto Synodi Cabilonensis
anno Christi DCCCXCIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

GERFREDI MONACHI, QVI ADALGARIVM

*Æduorum episcopum veneno necasse dicebatur, purgatio
per corpus Domini, ex decreto Synodi Cabilonensis
anno Christi DCCCXCIV.*

ANNO DCCCXCIV. indictione XII. inuidiæ instin-
ctu, malorum hortatu, oborta est infamis fama Fla-
uiniaco monasterio & castro publico, in quemdam lo-
ci illius Leuitam & monachum Gerfredum, officio præ-
lationis functum, quod piissimum patrem, & reueren-
dum præfulem, domnum Adalgarium Æduorum epi-
scopum lethali extinxerat veneficio. Huius criminis ini-
quissimum obiectum, Deo simul & hominibus horren-
dum, non modo ipsius ecclesiæ, verum etiam totius Gal-
liæ aures pulsauit, & infami satis elogio notauit. Præfa-
tus vero Leuita & monachus super illatione tanti faci-
noris nimium exhorruit: vt pote qui tanta tamque præ-
ualida ab ipso dulcissimo patre persenserat beneficia, vt
omnibus satis abundeque claret. Super quo primitus con-
siliium gloriosi præfulis domni Gualonis ipsius successo-
ris expetiit, seque a tam nefandissimo scelere, non mi-
nus cogitatu quam facto, præsentia illius Deo teste &
iudice omnium ac inspectore cordium, immunem fir-
mauit. Denique tantus, tamque præcelsus pontifex, di-
uinorum nec non & humanorum sciens, filiorum eccle-
siæ consilio fultus, ouem sibi creditam perire noluit: sed
insuper fomenta adhortationum, & medicamenta diui-
norum eloquiorum pie & misericorditer adhibuit: vt si
forte diaboli pellacia quid simile cordi illius iniecerat,
falterm suggestionem Spiritus sancti, & infusione ipsius ver-
bi, ecclesiastica institutione professus salubriter curari
posset, & abluui. Verum iam dictus Leuita & monachus,
in nullo penitus tanti flagitii conscius, iudicium sibi san-
cti Spiritus proposuit, & se, ad quodcumque examen
ecclesiastico more censeretur, modis omnibus prom-
ptissime deliberauit. Quocirca prænominatus præful tan-
tum & tam inauditum facinus proprio cunctatus deli-
berare iudicio, ad sanctam & comprouincialem Syno-

dum Aureliani nominandi archiepiscopi, & ceterorum coepiscoporum presentia discutiendum & diffiniendum censuit. Quod & ipse, ut pote immunis, haudquaquam distulit. Proinde Deo propitio praefixo Kalendarum Maiarum die conuenere sacri pontifices, Aurelianus primas totius Galliae, cum illustrissimis Gualone Aeduensi, Arrado Cabilonensi, Geraldo Matisconensi coepiscopis, simul & legatis memorandi Teutbaldi Lingonensis episcopi, apud Cabilonensem urbem in ecclesia beati praecursoris Christi Ioannis, quae est in prospectu eiusdem urbis. Vbi instituta sanctorum patrum canonice & regulariter promulgantes, & ecclesiastica negotia diligentius tractantes, infamia notarum crebro dictum monachum coram positum subtili indagine & multo examine discutere laborarunt. Quo isdem monachus omni iudicio more ecclesiastico, & humani iuris experimento instructus, nec huius infamiae euidentem accusatorem, nec alicuius certitudinis proclamatorem reperire potuit. Quod tertio sub testificatione sancti Spiritus clamari iubentes, & nihil prorsus verisimile reperientes, sancuerunt communi consilio, ut quia nec conuictum, nec etiam confessum experiebantur, tamen quia ventilatum & usque locorum erat diuulgatum, ut ab omni suspitione liberimus redderetur, in viciniore Synodo, quam omni reuerentia dignus Gualo antistes erga filios ecclesiae celebraret, corporis Christi & sanguinis illo examine, quod solum verius probatur & terribilius, imo salubrius creditur, a flagitio diuulgato publice expiaretur: eo scilicet tenore eundem prius testificantes, ut si in aliquo conscius tanti piaculi foret, nullo modo ad sacra sumenda accederet. Et si forte temerarie praesumeret, censura sancti Spiritus, & auctoritate apostolorum principis, ab ipso viuifico redemptionis nostrae precio extorris fieret, & cum Iuda Domini proditore damnatus aeternis irremediabiliter suppliciis addiceretur. Sin vero immunem se esse per omnia pernosceret, fides misericordiae Dei, tanti muneris donum ad salutis suae remedium saluberrime percipere non diffideret. Quod omnibus usquequaque satis fuit. Inde igitur pastor piissimus misericordia motus, illius causa apud Flauiniacum coenobium & castrum publicum

sanctam Synodum propriae ecclesiae colligens, iuxta statuta supradictorum antistitum, Missarum solenniis deductis, omnibus qui adfuere in primore ecclesiae sancti Petri collectis, iam supra fatum praemonuit virum, ut sicut sibi ipsi conscientia diceret, ad sacra sumenda, aut etiam refugienda quoquo vellet modo seipsum praefigeret. Quique in nullo haesitans, Deum sibi, & ipsum, quod percepturus erat, redemptionis precium in testimonium & iudicium inuocans, fidissime, omnibus in prospectu positus, quae supra fuerant praefixa votis omnibus peregit. Hoc igitur tanto donatus munere, ne vnquam ulterius tam amuloso fauciaretur vulnere, hoc scriptum a praefato seniore & subter notatis suis coepiscopis petiit relegendum, & manibus corroborandum.

Vvalo humilis S. Aeduensis ecclesiae episcopus relegi & subscripsi.
Ardradus humilis Cabilonensis ecclesiae episcopus lubscripsi.

Geraldus rector & humilis episcopus Matifconensis ecclesiae subscripsi.

CONCILIVM MAGALONENSE

APVD IUNIARIAS.

SYNODI huius in schedis antiquis extat breue fragmentum, ex quo diem ac locum, & antistitum, qui ex diuersis prouinciis conuenere, nomina discere est, cetera desiderantur. Sic enim habet: Anno incarnationis DCCCXCIV. indictione XII. nonis Maii, in regno Septimaniae, territorio Magalonenfi, loco Iuniarias vocato, in ecclesia sancti Vincentii, nos humiles Septimaniae, Spaniae, atque Prouinciae episcopi, Arnustus videlicet sanctae ecclesiae primae Narbonae metropolitanus, Amelius Vceticensis, Gimara Carcaffonenfis, Reginardus Biterrensis, Nantigifus Vrgellitanus, Augarius Luteuensis, Gerardus Agathensis, Vvicbertus Nemaufensis, Gontarius Magalonenfis, Benedictus Foroiu-liensis, item Reginardus Cauallicensis, &c. Triennio post, ut Narbonensis ecclesiae monimenta docent, celebratum est Arnusti eiusdem metropolitana iussu Concilium alterum apud Nemaufensem pagum, in loco qui Portus cognominatur, in ecclesia sanctae Mariae, XIII. Kalendas Maii, indictione XV. anno incarnationis DCCCXCVII.

ANNO
CHRISTI
894.